



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

- I. Qui in duabus ecclesiis praebendam habet, ab ea tantum poterit communia exigere, cui in propria voluerit persona deseruire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI 1179. vigiles existere , dignitati vestræ mandamus, quod si contigerit eumdem episcopum ante solutionem debitorum, quæ pro vtilitate & necessitate ecclesiæ sibi commissæ contraxerit, ex hac luce migrare , de redditibus qui spectant ad mensam eius, donec alius loco eius substituatur, eadem debita soluere studeatis. Quo substituto , episcopum ad eorumdem debitorum solutionem omnino adducetis, & sicut filius debita patris, ita prælatus sui prædecessoris pro necessitate ecclesiæ contracta tenetur persoluere.

V N I PLVRA BENEFICIA ^{PARS} xxx.

ECCLESIASTICA NON COMMITTEND A,
nec vnum inter plures diuidendum: & de in beneficio
sibi assignato non residentibus.

C A P. I.

Alexander III. Eboracensi archiepiscopo.

RELATVM est auribus nostris, quod Nicolaus archidiaconus de Bedis, canonicus * Beuianensis ecclesiæ, ita integre & plenarie canonicam iam dictæ ecclesiæ requirit præbendam, sicut & illi qui die noctuque satagunt eidem ecclesiæ deseruire. Super hoc etiam literas nostras se habere proponit. Quia vero hoc indignum & absurdum est, nisi de consuetudine præscriptæ ecclesiæ, hoc possit inquirere : fraternitati tuæ, &c. quatenus eumdem archidiaconum diligenter commoneas, quod occasione literarum nostrarum communia ecclesiæ prælibatæ nulla ratione contra consuetudinem & institutionem ipsius ecclesiæ requirere audeat, nisi eidem ecclesiæ in propria persona assidue vel per medietatem vnius anni voluerit deseruire.

C A P. II. *Idem Londoniensi episcopo.*

Cum teneamur ex debito suscepiti regiminis prouisioni clericorum intendere tibi & aliis ecclesiasticis prælatis, pro eis scripta nostra dirigimus , & interdum etiam super illorum prouisione, qui aliquod beneficium sufficiens habere noscuntur, dum etiam aliquando ignoramus eos habere aliquod beneficium, pro quibus tibi & aliis ecclesiarum prælatis scribimus, si preces & mandatum nostrum

Concil. Tom. 27.

Oooo ij